

Clericatus Ecclesiarum S. Laurentii, & S. Georgii. Presbiter Enricus, & Jacobus Costa Clericus, ambo jam antea ab Oglerio electi, contendebant Baudezonem earum Rectorem teneri ipsos eligere in illarum ministros, quod hic inficiabatur. Die itaque III. junii quaestiois examen delatum fuit Arnaudo Carrariae Archipresbitero de Cassinis, ut arbitror, qui edixit Baudezonem teneri Enricum, & Jacobum Costam eligere in Clericos illarum Ecclesiarum, modo a majori Aquensi Ecclesia confirmationem peterent, eique fidelitatis juramentum praestarent, ut in membrana Capituli a Verzello Predaxio Notario MCCXCIX. scripta continetur. Ceterum non unum hoc erat Capituli Aquensis privilegium in Cassinarum Ecclesiis, alia quoque ipsi jura in quaedam praedia competebant, quemadmodum ex sequenti charta evincitur ex Tabulario eodem eruta, quam in publicam lucem profero.

Anno Domini MCCXLVII., indictione V., die Mercurii XXIII. julii in Aquis in claustrum Aquensis Canonice praesentibus Odezone filio Gosherto de Aquis, Petro Emborre, Anselmo de Miribello, & Bozio de Porta testibus rogatis Capitulum Canonice Aquensis scilicet D. Archidiaconus, Lotherius Praepositus, Presbiter Rufinus, Presbiter Boyonus, Ogerius, & Henricus Canonici dictae Canonicae Aquensis nomine, & vice Capituli dictae Canonicae dant, cedunt &c. ad fictum reddendum XIII. sestariorum grani ad mensuram de Cassinis Arnaudo Presbitero, Presbitero Petro, & Presbitero Gandulfo Canonicis sanctae Mariae plebis de Cassinis recipientibus nomine dictae plebis quartum & decimam, quod & quam dictum Capitulum Aquense habet, & consuevit habere in quadam petia terrae positae in territorio Cassinarum in loco, ubi dicitur Brayda plebis, cui cohæret dicta plebs a duabus partibus, Rufinus &c. quod quartum & quam decimam dicti Canonici dictae plebis confitentur dictam plebem consuetam reddere, & debere reddere Aquensi Canonicae praedictae. Item praedictum Capitulum Aquense eodem modo ut supra dat &c. omnes rationes, & jura reales, & personales, utiles, & directas, quae & quas habent, vel habere possent in quarto, & decima unius petiae terrae &c. quam possidet Rufinus filius q. Johannis Grassi, & est posita in territorio Cassinarum in eadem ora, cui cohæret plebs a duabus partibus, & haeredes q. Boniplaciti &c., pro quibus omnibus, & supra dictis praedicti Archipresbiter, & Canonici dictae plebis promittunt dare &c. Capitulo Aquensi nomine ficti XIII. sestarios grani puri, & ficti ad mens. Cassinarum omni anno, quo in dictis terris fuerit messis, vel debuerit esse perpetuo salvo eo quod si messes praedictarum terrarum forent devastatae propter guerram generalem &c.

Ego Albertus Cutis Not. &c.

MCCXCIX. col. 269. n. 261. lin. 54. indict. II. eorr. ex autographo XII. lin. 55. lege Archipresbiteratus.

Col. 270. lin. 18. post interfuerunt adde Paganus Sulchus, Manfredinus Rodinus de Aquis, & Rufinus Squarzacicus de Septebrio &c.

MCCCVI. col. 273. n. 267. Haec investitura fuit renovata a Guidone II. Bartholomeo hujus Franceschini filio: qui postea ob crimen contra fidelitatis leges commissum feudo Rochettae privatus fuit. Haec omnia constant sequenti membrana, quae ex Tabulario Capituli eruta nunc in publicum prodit.

In nomine Domini amen. Anno a Nativitate ejusdem MCCCXLIX., indictione II., die XX. decembris in castro Episcopali Bistagni praesentibus Jacobo de Landulphis jurisperito de Papia Francisco Dach Praeposito Ecclesiae S. Johannis de Incisa Gulielmo de Odone, & Francisco cui dicitur Jorinus de Incisa testibus vocatis, & rogatis. Cum sit evidens ex quampluribus privilegiis Imperatorum, & Regum castrum & villam Rochettae Pelasae cum omnibus possessionibus, honoribus, & omnimoda jurisdictione, mero ac mixto imperio, ac omnibus pertinentiis eorundem ad Aquensem Ecclesiam, & Episcopum pertinere a tanto tempore, citra quod contrarium memoria hominum non habetur, nec haberi posset, ac etiam appareret Ecclesiam praedictam, & Episcopos ejusdem dictum castrum cum praedictis omnibus pacifice tenuisse, & possedisse, & in possessione ipsius, & omnium praedictorum fuisse, & stetit dictum castrum cum praedictis investiendi, & fidelitates factas dictis Episcopis Aquensibus eandem Ecclesiam recipiendi, & praedictum castrum, & feudum dictae Aquensis Ecclesiae, & Episcoporum ejusdem ut de praedictis omnibus patet quampluribus investituris, & publicis instrumentis per infrascriptos Notarios. annis & diebus infrascriptis, & primo instrumento uno recepto per Petrum Notarium 1211. die 4. martii. Alio per. . . . de Tertio Not. an. 1260. 20. maii. Alio per dictum. . . . Not. an. 1265. 25. julii. Alio per dictum. . . . Not. an. 1267. 21. octobris. Alio per Georgium Mascarum Not. de Bestagno anno 1288. 8. aprilis. Alio per Morandum Gelinum Not. d. anno 26. junii. Alio per Leonem Gratarolam Not. 1289. 14. maii. Alio per Rufinum Barettam Not. de Aquis 1294. 2. oct. Alio per Johannem Bestagnum 1306. 6. aprilis. Alio per dictum Johannem 1309. 7. aprilis. Alio per Ughetum de Rolando Not. an. 1343. 27. aug. Alio per Franc. Novellum de Tertio 1347. 21. sept. Item quodam alio instrumento investiturae factae per R. in Ch. P. D. Guidonem Aquensem Episcopum, & Comitem Bartholomeo de Calamandrana recepto per Franciscum Novellum Notarium sub anno Domini 1348, die 22. decembris certis modis, & pactis contentis in dicto instrumento, cumque etiam appareret praefatum Dominum Episcopum protestatum fuisse, ac denunciasse dicto Bartholomeo, quod si contingeret dictum Bartholomeum molestari de jure, vel de facto per aliquem Baronem Comitem Ducem Principem Marchionem Dominum, seu aliquam aliam personam de mundo circa dictum castrum, quod ipse deberet se defendere per se ipsum sicuti debet quilibet fidelis, & legalis Vas-